Putanowicz Josephi Aloysii: De studio historiae ecclesiasticae Oratio inauguralis 1773 6 Idus Novembres.

De Studio
Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ

M. JOSEPHI ALOYSII PUTANOWICZ
Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS.

Cùm primùm Theologicam Cathedram, in Univerſitate Cracovienſi conſcenderet;

ORATIO INAUGURALIS.

1773.
6tô Idus Novembres.

*Considerantes -- multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, * curavimus volentibus quidem legere ut esset animi oblectatio: studiosis verò, ut faciliùs possint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus utilitas conferatur. * Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causâ suscepimus, non facilem laborem, immò verò negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsimus. * Sic ùt hi qui præparant convivium, & quærunt aliorum voluntati parêre propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus. * Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundùm datam formam brevitati studentes. * Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est: ei verò qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt: ita æstimandum est & in nobis. * Etenim intellectum colligere, & ordinare sermonem, & curiosiùs partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori: * brevitatem verò dictionis sectari, & executiones rerum vitare, brevianti concedendum est. * Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantùm dixisse sufficiat. stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.* L. 2. Machab: c. 2. à v. 25 ad 33.

I. Ea est perpetuo Academiarum usu sacrata consuetudo; ut qui publicè docendi provinciam suscipiunt, in primo ad Cathedram ingressu, instituti sui rationem, dictô scriptôve palam profiteantur. Ita enim egregiè consultum est; quatenus istiusmodi commendatione, & tradendarum disciplinarum dignitas, utilitas, necessitasque faciliùs percipiatur; & juvenum animi veluti quibusdam igniculis ad discendi ardorem inflammentur. Nam etsi homines à natura adeò comparati sunt; ut & Scientiarum præstantiam ipsi nitidissimè intelligant, & comparandarum desiderio sua sponte ferantur, tamen in hac depravati genii vice, cùm otii torpor omnes fere occupaverit, ab ignavia ad laborem stimulis calcaribûsque urgendi sunt. Tantòque fortiùs urgendi, quantò à majori, in quo versantur discrimine, illos eximi oporteat. Ignorantia siquidem quametsi pæna non culpa sit; enitendum nihilosecius, omnibusque viribûs enitendum, ut depulsa noctis caligine ad diluculum, ab hoc ad serenum meridiem eluctemur! Permiserim cum Magno Augustino, quòd „animæ non imputatur ad reatum, quod naturaliter scire non potest, „sed quòd scire non studuit, & quòd dignam facultati comparandæ, „ad recta facienda operam non dedit. Loqui enim non posse & „scire non posse infanti naturale est„ (a) at verò quis eum inter muta animantia non meritò reputaverit, qui neglecto linguæ usu, consultò statuerit sese ab hominum societate atque consuetudine segregare. Quòdsi sermonis communio eo nobis adjumento est; ut

 interna

(a) *Libro 3tio de libero arbitrio.*

interna animi sensa promere valeamus, hominemque insuper animal sociabile reddit; quo in gradu illos collocabimus, quos disciplinarum cognitio supra commune vulgus evexit? an non ad istiusmodi fastigium creaturæ rationis participi adspirandum pro virili judicabimus?

2. Ita profectò; potentes habent illecebras Scientiæ, quas si quis familiariter amare didicerit, atque iis sæpius vacare voluerit, jucundam valde reddunt vitam, maximumque in tribulatione solamen præstant. Quàm verò latè pateat discendi campus, quis non noverit? Infinitus omnino essem, si rem istam oratione vellem perstringere. Suus sit unicuique Scientiæ honos. Mihi de disciplina illa, ne à proposito aberrem, quam Græci Historiam vocant, Tullius verò testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ nunciam vetustatis (*b*) definiverat, differendi provincia incumbit. Neque tamen de rerum profanarum gestis, aut Regnorum commutationibus, quæ ætatem nostram longè ante præcesserant, attentionem ego Vestram morabor. Quametsi enim ut cum *Diodoro Siculo* loquar: „nihil jucundius utiliusque cogitari potest, quàm in humanæ vitæ „theatro, quod Historia partibus omnibûs mirè instructum habet, „sedentem periculis aliorum, sine suo periculo cautum sapientemque „fieri: exempla capere omnigena, quæ ad usum tuum utiliter qua„libet in re traducas. Cumque maximorum hominum, de summis „rebus maximis consiliis interfueris, id quod cupidissimè homines „avemus, eorundem etiam eventibus interesse, & quod per angusti„am vitæ hominum impossibile fit alioqui, sæcula tota memoriâ „conjungere: maximorum imperiorum auspicia, progressus & finem „videre; malorum seu privatorum seu publicorum causas liquidè „cognoscere; ac ùt in summa è retroactis (quod proprium sapientis „Viri officium est) futura scienter in omnes eventus perspicere, præ„sentia judicare: (*c*) Tamen curiosa istiusmodi factorum indagatio „adeò ab instituto meo aliena est, quàm quod maximè,

3?

(*b*) *Lib. 2. de orat. ad Q. Fr.* (*c*) *In Proëmio vitarum Philippi & Alexandri.*

3. Historiam videlicet Unius, Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, publicè è Cathedra tradendam docendamque suscepi; in hac verò commendanda non multum mihi sanè laborandum est. „Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor: Sic è Sanctorum commemoratione gestorum ad omnes provenit utilitas. (*d*) Utilitatem verò istam ex argumenti præstantia, magnitudineque metiamur, oportet. Quid enim Augusto Theologorum Nomini ampliorem dignitatem conferre; quid iis qui ad puram sinceramque Christi Religionem seu perdiscendam seu defendendam animum admovent, uberiorem lucem affundere, aut fortiora arma subministrare possit, quàm Sacræ Antiquitatis studium indefessum? Enimverò interest quàm plurimùm; ut ii qui in rebus Christianæ Religionis ùtùt mediocriter versati esse desiderant, Christianitatis incunabula primordiaque, progressus item & incrementa perspecta habeant; quid primi illi Evangelici Præcones, atque Divini Verbi Satores, quorum sudore & sanguine parta nobis traditaque est per manus genuina & incorrupta Religio, ab antiquissimis usque temporibus gesserint docuerintve, internoscant: illustres Athletarum Christi, qui Tyrannorum tormenta, invictâ penes fidem constantiâ gloriosi superarunt, victorias alta mente retineant. Patrum doctrinam, Conciliorum oracula, leges sanctionesque, quibûs seu Religionis integritas stabilita, seu puritas Disciplinæ morum fideles inter semper custodita fuit; omnium Hæresum quæ in Ecclesia emerserant ortum, fortunam, deliria atque fata; Romanorum præsertim Pontificum continuas ad hæc usque nostra tempora successiones veluti in numerato habeant. Hæc verò omnia duntaxat ex augustissimis Ecclesiasticæ Historiæ fontibus depromere licebit.

4. Ex ejus siquidem venerandis monumentis Christiani Nominis institutio, atque hinc Religionis nostræ certitudo liquidò innotescit. Nam veræ Religionis ea indoles est; ut & originem suam certam teneat, & perpetua, constanti atque unanimi traditione à primigeniis Patribus in filios filiorum sua dogmata propagentur. Quis verò nisi insanæ aut perditissimæ mentis homo inficiari audeat, Dominum Nostrum Jesum Christum Deum Hominem, istius quam profitemur

(*d*) *Basilius in Gordianum Martyrem Militem Cæsariensem.*

ſitemur Religionis octodecim pene retro ante ſæcula Authorem Inſtitutoremque extitiſſe; teſtamentumque hoc æternum effuſo liberaliter juxta ac miſeranter ſanguine obfirmaſſe? Quandoquidem iſtiuſmodi veritatem infideles ipſi, jurati in caput Nominis Chriſtiani hoſtes luculentiſſimis teſtimoniis vel inviti fatentur? Vetant nos profectò de tam evidentiſſimi facti certitudine dubitare Sancta Dei Evangelia, in quibus Diſcipuli Domini, Vitam, miracula, Paſſionem, Reſurrectionem, denique ſuum in Cælos glorioſum aſcenſum, oculati atque probatiſſimæ fidei teſtes complexi ſun: Vetant dubitare Sacra Prophetarum oracula, quæ deſideratum iſtum cunctis gentibus Meſſiam, longo ante intervallô prædixere, quorum quidem vaticiniorum, aſcendendo uſque ad Moyſem Scriptorum omnium vetuſtiſſimum, & dies & authores notiſſimos habemus; veritatem autem eventus ipſe docuit. Aliter longè ſe habent fabulæ illæ aniles, cerebroſaque commenta, quibus cæca Græcorum, gentiliumque ſuperſtitio, ridendique ritus ſuperſtruuntur. Fingant tantùm quantùm volunt Pöétæ falſorum Deorum propaginem, portentoſa etiam eorum facta pro libidine celebrent; omnis tamen eorum narratio nuda adeò, probationeque deſtituta eſt; ut ne quidem apud ſuos, qui meliùs de Divinitate ſenſiſſe viſi ſunt, fidem aliquam invenerint. Neque tamen & iſti fanatici vates, videntesque cæci eò temeritatis devenere; ut Jovem tauri aut cygni figuram induentem; Neptunum tridente ſuo maria terraſque quatientem; quadrigas Solis, currumve Lunæ, propriis oculis inſpectaſſe aſſerere auderent.

5. Religionis itaque Chriſtianæ inſtitutio planè Divina eſt, id doctrinæ unitas; id diſciplinæ Majeſtas atque ſeveritas; id morum integritas puritasve teſtatur: Unitatem doctrinæ, ſummus omnibûs ætatibûs fidelium, quibus docilitas cordi fuit, in dogmatibus credendorum conſenſus: diſciplinæ gravitatem in peragendis Religionis Myſteriis, adminiſtrandis ſeu ſuſcipiendis Sacramentis adhibiti ſemper Sanctiſſimi Ritus & Cærimoniæ; indefeſſa præterea in avertenda omni profanatione Eccleſiæ vigilantia: integritatem morum, omnis laxitatis averſatio, ſigna denique & prodigia, quæ nonniſi ab hominibus Deo amiciſſimis expectari poſſunt, luculentiſſimè declarant.

6.

6. Et ut ab his postremis exordiar; profectò miracula Divina quædam sigilla sunt, quibûs Numen Omnipotens seu doctrinam suam, seu voluntatem suam non infrequenter testatam esse voluit. Id hominum quoque ignavia, quibus admiranda naturæ opera quotidiano usu viluere, quatenus insolito rerum extra ordinem eventu, ad Veri Dei cultum; Religionisque reverentiam validiùs excitarentur, exigere videtur. Quot es verò ad devinciendos sibi homines Divinæ bonitati prodigia ista patrari placuit, ea nonnisi in publica Mundi facie, temporibûs locîsque aptissimis patrata sunt; ut eatenus notitia Mirabilium Dei ad plures pervenire, & omnis perversa incredulorum interpretatio præoccupari, & diuturnior eorum memoria in animis mortalium posset conservari. Mitto portenta & prodigia, quæ Deus fecerat in terra Ægypti per manus servi sui Moysis, cùm miseratus afflictionem populi sui, illum de domo servitutis in libertatem asserere, peculiaribusque cultui suo legibûs obstringere constituisset. Neque enim vos latet ea patrata fuisse in Urbe totius Regni Metropoli, adspectante Rege, ætate illa, qua Ægyptii de Sapientiæ laude & literarum cultura cum reliquis Nationibus contendebant, demirante & teste populo Israël universo. Revocate duntaxat velim beata illa tempora, quibûs Servator noster Deus Homo in terris apparuit. Sæculum erat, quo imperante universo Terrarum Orbi Augusto, Romanorum gloria summum culmen fastigiumque tenebat. J. C. natus in Judæa secundùm Prophetarum oracula: In Hierusalem Urbe omnium principe Legem suam instituit, docuit, & infinitis miraculîs firmavit; hìc demum sanguinem suum ad nostra peccata expianda fudit, & devicta morte, stridentibus præ livore non tamen facti insciis Sacerdotum Principibûs resurrexit, plures dies cum discipulis suis, donec ad gloriam Patris ascendisset, in terris commoratus. Mox discipuli, Magistri sui vitæ, mortis, miraculorum testes, universas Romani Imperiii ditiones provinciasque pererrarunt, reddentes testimonium Verbo veritatis, fidemque in Jesum Nazarenum Crucifixum, in Templis, in Synagogis; coram Regibus, Principibus; Græcis, Romanis, Judæis, Barbaris, insipientibus & sapientibus, *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis* (e) annuntiantes; testimonium hoc denique suum, nullius lucri cupidi, quinimo contra omnes humanæ prudentiæ leges, vita & sanguine obsignantes.

(e) *Marci* 16.

7. Tot tantaque prodigia, quæ Divina virtus in iis qui D. N. J. C. nomina sua dedere, operata est, spectatissimam nonnisi vitæ innocentiam, morumque integerrimam probitatem declarare videntur. Accedit, quòd in sævissimis, tempestate illa, persequentium Tyrannorum procellis, nemo ullus ùt homicida, aut fur, aut maleficus conventus, convictus, condemnatusve fuerit; omnes pro Evangelio catastas, cruces, ignes, enses, & reliqua tormentorum genera, parata voluntate, lætantique animo pertulerint, hoc in uno rei, quòd Christiani. Sed neque puritas illa morum alibi quàm in Religione Christiana aut quæri debet, aut inveniri poterit. Plus justô sibi blanditur, qui eam aut à moroso Pythagoreorum silentio, aut ab Aristoteleorum gravi supercilio, aut à Stoicorum fucata austeritate, aut á Platonicorum sublimibus ideis expectandam existimat. Inquisivit illam per omnes istas Philosophorum Sectas Justinus Martyr Philosophus, quemadmodum in *Dialogo cum Tryphone* ipse fatetur; oleumque & operam, ùt ajunt, perdidit: docuitque exemplô suo, falsam esse & inanem, nisi Christiana sit, omnem philosophiam, quia nec instruit ad justitiæ munera, nec officium hominis rationesque confirmat.

8. Jam verò de Christianæ disciplinæ seu in moribus instituendis severitate & accuratione; seu in re Sacra facienda augustissimis ritibus, venerandisque cærimoniis, quid dignum in medium afferre potero? Oratio profectò me desereret, si hic congerere, atque singillatim explicare vellem ea omnia purioris Moralis Christianæ principia, ad quorum exercitium Ecclesia fideles suos à primis usque temporibus ad hodiernam usque diem vehementer adhortatur. Pauca ex multis in præsentiarum seligam, quæ tamen sad Moralis Christianæ commendationem abundè sufficere poterunt. Hæc nedum Fideles ad Divinorum præceptorum accuratam observantiam obstringit, sed eorum etiam animos ad perfectiora Evangelii consilia adimplenda accendit: ad constantem omnium suppliciorum tolerantiam, ipsamque potiùs mortem obeundam animat, quàm ut Religio aliquid detrimenti patiatur. Hæc insuper monet, præcipuum Christiani officium esse, non putare se sibi natum esse, sibique vivere velle; sed omnia sua Deo auctori & largitori bonorum omnium in acceptis referre, libenterque bona sua aliis largiri, singulis

ex

ex animo bene velle, bene precari, bene facere, neque nocere commeritis, sed prodesse immerentibus, omnium commodis perinde ac suis adgratulari, omnium incommodis non secus ac suis indolere. Hæc persuadet divitibus, à sæculi & sathanæ pompa abhorrere, ab insanis & illicitis voluptatibus temperare, sola recti conscientia contentis neque honores, neque opes, neque reliqua volubilis fortunæ commoda desiderare, sed suas potiùs in pauperes opes profundere, quæ alioqui sarcinæ sunt, quibûs onusti divites, nec possunt per arctam viam Christum nudum sequi, nec per ostium humile in Regnum Cælorum introire. Hæc singulos adhortatur subvenire oppressis, succurrere pupillis, infirmos solari, egenos sublevare, viduas protegere, captivos propter Christum in carceribus detentos frequenter invisere, Magistratibus & Principibus subditos esse, & cum omnibus, amore, mansuetudine & beneficio certare. Hæc præcipit mulieribus, ut suos viros diligant; viris, ut suis itidem uxoribus mutuum amorem rependant; filiis, ut parentibus, aut qui parentum locô sunt, obediant; parentibus verò, aut iis qui horum vice funguntur, ut filiorum vitiis non indulgeant, sed eorum animis jam inde ab incunabulis optimas opiniones & sanctissimas leges inserant insculpantque, propterea quòd nihil vel altiùs insidet animo, vel hæret tenaciùs, quàm quod rudibus inditur annis. Hæc impensè commendat omnibus Pastoribus zelum & charitatem erga Fideles, qui eorum curæ sunt concrediti, ac vicissim singulis Fidelibus obedientiam ac debitam erga suos Pastores reverentiam imperat. Uno verbo, Legis Evangelicæ regulas cunctis Christianis præscribit, & ut ad illarum normam vitam moresque suos dirigant, in eo tota occupatur. Jam verò quanta majestate, gravitate quanta, pietate quanta, Divina apud Christianos peragantur, vel ex eorum invidia, à quorum Synagogis Sanctissimi quique Ritus per omne nefas exularunt, abundè colligere licet.

9. Tam Sancta, tam Divina Christianorum Moralis, quòd à primis Ecclesiæ incunabulis, ad hanc usque quam vivimus ætatem, incorrupta & non interpolata perseveraverit; cui nam alteri, si non unitati doctrinæ, atque mirifico in dogmatibus fidei consensui, tribuendum existimabimus? Homines siquidem ut credunt, ita suos fingere mores assueverunt; quòd si vita cum fide interdum haud cohæreat,

hæreat, privatorum id vitio imputamus. Unitatem verò doctrinæ probat Doctorum & Discipulorum continuata successio: probant pretiosa Patrum monumenta, quæ ex ævo in ævum, & de manu per manum ad nos pervenere: probat traditio à Parentibus ad filios quasi de aure in aurem propagata: probant seu Oecumenica seu Nationalia Concilia, quæ ita rebûs Ecclesiæ urgentibus, sese mutuò excepere: probat non interrupta Romanorum Pontificum, qui Christi in terris Vicaria potestate funguntur, à Petro ad Clementem Papam XIV. feliciter modernum series, quorum singulorum & Nomina & annos in numerato habemus, & vitam atque res pro Ecclesia fortiter gestas minimè ignoramus. Et quamvis non deessent omni ætate malè feriati homines, Sathanæ discipuli, qui hanc fidei unitatem in Ecclesia labefactare, & inconsutilem Christi vestem in minutissimas lacinias scindere adnisi fuissent, atque hodiedum adnitantur; tamen ejusmodi monstra recenter nata scimus: nova verò & in fide peregrina doctrina non falsa esse non potest: illa sola vera, quam Ecclesia semper & tenuit & tenet.

10. Sed & ejusmodi schismata atque hæreses nonnisi ad majus Ecclesiæ Catholicæ bonum exortas, ego ni fallor, censuerim. Nam quòd Ecclesia hostes semper molestissimos habuerit, aggressores veritatis, quam in gremio suo custodiendam tanquam in Sacrario arcanæ mentis D. N. J. C. collocaverat, his tamen vel ideo affligebatur, quatenus oracula Divina in se impleri probaret, nunquam se videlicet à Sponso suo desertum iri. Oppugnari enim eam permisit, nunquam expugnari, concuti, nunquam excuti; crudelissimis verò Idololatriæ ictibûs quasi minùs attrita, intestino plerumque laboravit bello, & ipsi filii facti sunt ei inimici, veram carnem & Divinitatem Christi labefactare conati. Impiissimus omnium Arius quæ non intentavit mala contra Ecclesiam Christi? Ipsa verò contremuit tunc, trepidavit, & timuit mergi, quasi *navicula in medio mari*, quæ undique *operiretur fluctibus.* (f) visum est in tanto periculo veluti Sponsum suum dormire. Tempestate tamen ingravescente, surgens imperavit *ventis & mari, & facta est tranquillitas magna*, (g) dignatus præterea id facere, quot es Sabellius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, cæteræque hæreticorum pestes moliebantur doctrinæ suæ sanctæ polluere inte-

(f) *Math. 8. 26. & 14. 24.* (g) *Luca 10. v. 16.*

integritatem. Impiorum persequutio ad tempus permissa, facta est justorum probatio, & debuit Ecclesia aliquando affligi: „Etiam sic „quippe veris illis Catholicis membris Christi, malô suo prosunt, „dum Deus utitur & malis bene, & diligentibus eum omnia coo„perantur in bonum„ (b) Lumen tamen Divini vultus Ecclesiam respiciens, semper eam liberavit à tenebris; hoc radiante discordia fugit, errorum nubes transierunt, sedatisque fluctibûs optata malacia pacis tandem rediit. Et si quæ adhuc urgent ab Aquilone procellæ, verissimum est illud: *fluctuat, ast nunquam mergitur ista ratis.*

11. Perspicitis itaque integrum Historiæ Ecclesiasticæ argumentum, tribus istis capitibûs contineri, veritate doctrinæ, sanctitate disciplinæ, bonorumque morum integritate; atque horum trium notitiâ integrum ejus studium absolvi. Quorum quidem cognitio, quametsi non omnibus ex æquo necessaria censeatur; quotus tamen quisque est, cui pulcherrimarum atque sanctissimarum rerum notitia non maximam utilitatem adferat? Quid enim validiùs hominem Christianum in fide obfirmat, quàm si cernat, dogmata illa quæ decem & octo ante sæcula in Ecclesia invaluerant, hodie etiam inconcussum robur, & primigeniam authoritatem retinere? Quantò majorem antiquitatem disciplina redolet; tantò majorem venerationem sibi conciliat, seu illa ad formulas Numinis deprecandi, seu ad jejuniorum praxim & observationem, seu ad sanctos & augustos administrandorum Sacramentorum ritus referatur. Uno verbo: exempla Sanctorum, veram solidæ pietatis ideam nobis ingenerant, frivolas sectandæ Evangelicæ perfectionis excusationes penitus abolent & extinguunt, oculisque veluti subjiciunt, omnia nos posse in Eo, Qui nos confortat.

12. Hæc si nomine Christiano digna adeò sunt, quantò magis Theologiæ Candidati illa calleant necesse! Cùm enim Theologus nedum in Divinarum rerum contemplatione perpetuo defixus hærere debeat; verùm etiàm cum occultis sive apertis veritatis hostibus strenuè ipsi colluctandum sit; arma in promptu habeat, quibûs Eccle-

siæ

(b) *Augustinus de Civit. Dei lib. 18.*

fiæ inſervire, & adverſas acies retundere ac vincere poſſit. Arma verò iſta, nonniſi Divinæ Litteræ, Traditiones Apoſtolicæ, Sanctorum Patrum lucubrationes, Concilia, Hiſtoriæ & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ monumenta ſubminiſtrant. Quo pacto autem ejuſmodi arma tractare, eorumque vim penitus introſpicere poterit Theologiæ Candidatus, qui antiquitatem Sacram ne quidem à limine ſalutavit? quo pacto Veterum Patrum ſcripta genuina à ſuppoſititiis ſecernet, ſi in eorum operibus peregrinus omnino ac hoſpes ſit, vel ſaltim ſi nunquam legerit illuſtrium hujus temporis Virorum labores, qui communi bono Eccleſiæ nati, tantum ſudoribûs ſuis effecerunt; ut nos à perluſtrandis infinitis voluminibus, quibus unius hominis vita nec evolvendis ſufficit, maxima parte, ne dicam ex integro liberaverint. Atque iſta ſunt quæ inflammandis Theologiæ Candidatorum animis ad ſectanda Sacræ Antiquitatis ſtudia, abundè ſufficere deberent. Quòdſi cuipiam Oratio mea in movendo infirmior viſa fuerit; ipſe ſecum reputet, ſuavitatem fructuum ciborumque, ſeu adſint, ſeu cæteræ illecebræ deſint, ſolo guſtu explorari.

D I X I.

Permiſſu

MAGNIFICI & AMPLISSIMI DOMINI

RECTORIS.
